Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1995

Quelle:
Copyright:

Praef. prioris *Comment.* ad *Juliam Gonzagam* diſerte *Valdeſius* Verſionis ſuae *Pſalmorum* meminit, quemadmodum ſupra in noſtro *Prooemio*, et quod *Sandius* in *Biblioth. Antitrinit.* inter ejus Scripta Commentarium *in Evangelium Matthaei* recenſet. Itaque hunc eſſe noſtrum jam nullus ambigo, typis vero editum nunquam puto. De Autoris circa an. 1540. defuncti fatis plurima collegit *Baylius* in *Dict.* quem, ſi lubet, conſule.

DXX.

872 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 28. f. inſcribitur: *Contiones Breves ac Succinctæ in Apocalypſim Joannis Apoſtoli in Tabulas redactæ per Stephanum Szegedinum Pannonium.* Fata et Scripta *Stephani* hujus *Kis* ſive *Parvi* a natali loco dicti *Szegedini* e *Zwittingeri Specim. Hung. lit.* repraeſentavit *Alex. Horányi in Memor. Hungaror.* P. III. p. 338. Redegit *Stephanus* in ejusmodi *Tabulas Analyticas* ſive Compendiarias *Pſalmos*, *Prophetas* IV. majores, *Evangelia Matthaei* et *Johannis*, *Actus Apoſt. Epiſtolas Apoſtolor.* et *Apocalypſin*, quae omnia lucem primum adſpexere *Schaphuſiae* 1592. f. opera *Matth. Scaricaei Hung. Kevini*, qui ſe carmine praevio *Stephani* clientem profitetur. Ignoravit *Zwittingerus* in iſthac Editione etiam *Tabulas* noſtras *Apocalypticas* contineri, quas *Baſileae* primum prodiviſſe a. 1598. et 1610. f. credidit. Praemittitur nobis Decaſtichon *Szegedini*, ut in edit. *Schaph.* ut etiam tritum illud Diſtichon: *Roma diu titubans* &c. ſed Hexaſtichon nobis inſcriptum: *Vox Angeli qua dehortatur Pios a conſortio Romanæ Eccleſiæ. Apoc.* XIV. *Scaricaeus* non habuit. Sequitur et in *Codice* et in Edit. Epiſtola Dicatoria *Szegedini* data: *Kalmanchini* (Kalmáncſéh) qui Pagus eſt Provinciae *Simeghienſis* non procul *Sigetho* et apud *Zwitting. Calmantſemum*, et in edit. *Kalmantſeha* audit, *Decimo Junij* a. 1561. ad *Sigismundum Galler* Conſiliar. Caeſ. e *Styriaca* utique Nobilitate, non *Haller*, quem fecit Editio *cit. Helvetum* velut quempiam. *Gallerum* hunc Sacris Proteſtantium addictum fuiſſe inde liquet, quod eum *Szegedinus* acerrimus Romanae Sedis hoſtis, ut vel ex ejus *Speculo Pontiff. Rom.* patet, *Mecaenatem* ſuum vocet, eique *doctrinam vere piam* et *ſacra ſtudia* commendet. *Fol.* 19. ſequitur: *Diſpoſitio Epiſtolarum Pauli Decem quæ ſunt ad Eccleſias miſſæ.* Haec quoque Ἀναλυσις praevio *ad Lectorem* Ogdoſticho *Szegedini* extat edit. *Schaph. cit.* p. 323. contra ac *Zwittingerus* arbitratus eſt.

DXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 666
XIII. ut videtur, ineuntis, Folior. 61. 4. non eodem per totum nitore ſcriptus, rubricisque diſtinctus, a paullo recentiore manu